

Q. D. B. V.
DISSERTATIO I.

EX
ANTIQUITATE EBRAEA

DE

מלכת כשף
SIVE

STVDIO MAGICO
JUDAEORVM

QVAM

PRAESIDE
GEORGIO CAROLO PETRI
MARTISBURGENSI

S. THEOL. CANDIDAT. AC IN ACAD. VITEMB. MAG. LEG.
D. SEPTEMB. M D C C XXVII.

PUBLICE DEFENDET

RESPONDENS

JOHANNES GODOFREDVS THOMAE
DAMENSIS SAXO

S. THEOL. ET PHILOS. STUDIOS.

VITEMBERGAE

LITERIS CHRISTIANI ZIMMERMANNI ACAD. TYP.

H. v.

a. LXXXVIII. 15.

coll. diss. A
8, 15

REVERENDISSIMI. REGIO - ELECTORALIS,
PROTO-SYNEDRII. DRESDENSIS.
EMINENTISSIMO.
ILLVSTRISSIMO. GENEROSISSIMO.
EXCELLENTISSIMO.

D O M I N O.

PRAESIDI.

DN. GOTTLLOB HIERONYMO.
DE LEIPZIGER.

DYNASTAE. CLIENTELARVM. HEYDAE. ET KNATEVIZ.
AVGVSTISSIMI. REGIS. POLONIARVM. ET SERE-
NISSIMI. ELECTORIS. SAXONIAE. CONSILIARIO. INTIMO.
SVMMI. PROVOCATIONVM. SENATVS. ANTISTITI.
ET. RELIQA.

HEROI. SVMMIS. IN. ECCLESIAM. ET. REMPUBLICAM.
MERITIS. INCLVTO.

DOMINO. SVO. GRATIOSISSIMO.

NEC NON.

V I R I S.

SVMME. REVERENDIS. PERQVAM. MAGNIFICIS. EXCELLENTISSIMIS. LONGE-
QVE. CONSVLTISSIMIS,
DOMINIS.

CONSILIARIIS. AC. ASSESSORIBVS. DIGNITATE. SPLENDIDIS-
SIMIS. AVCTORITATEQVE. LONGE - GRAVISSIMIS. THEOLOGIS. AC. IVRE-
CONSVLTIIS.

DE. PATRIA. ET. ECCLESIA.

IMMORTALITER. MERITIS.

DOMINIS. PATRONIS.

EVERGETIS. ET. PROMOTORIBVS. SVIS.

OPTVMIS. MAXIMIS.

HAS ET SECVTVRAS DE IVDAEORVM MAGIA
PLAGVLAS

DEVOTE. DANT. DICANT. DEDICANT.

SERVI. AD OBSEQVIA. HVMILLIMA. IVGITER.

OBSTRACTISSIMI. PARATISSIMI.

DISPVTTANTES.





§. I.



Agus, *Magia* quibusdam sunt originis *Magia un-*
Graecae. *Possset etiam dici μάγος q. de?*
μείγας, inquit Alstedius in Encyclop. p.
 190. nimirum aut a magnitudine scien-
 tia, LYRA ad c. II. Matthaei, aut
 quod se *μέγα τ,* dicebant, D. PFEIFFER,
 in Exercitation. Biblicarum Additam.
 p. 169, ubi tamen etymon hoc, nec non

quo alii apud Lud. de Dieu ad h. l. p. 3. voces a *μαγίς,* tripus,
 derivant, recte rejiciuntur. Nec audiendi sunt, quorum D. Baldu-
 inus Casuum Consc. lib. III. c. V. p. 711. meminit, Auctor Etymo-
 logici et Eustathius, qui deducunt a *μάττειν* pinsere ac subigere:
 forte quia magicis artibus dediti etiam coqvendo sunt interdum
 occupati. Pergit ALSTEDIUS l. c. *aut potens intellectu, a mōgenē*
quia Persae habent quaedam vocabula a Scythis. Aliis sunt vo-
 ces originis Ebraeae; qui vel a *מַעוּב* robor deducunt, quum et
 LXX. e. g. *Γόμορρα* pro *עמרה*, *Φογάρ* pro *פוער* etc. dicant,
 vel ab *הרהר* meditatus est, *מהרהר* meditabundi, vel a *משמ*
 praestigiator, abjecta ultima lit. *פ,* &c. D. PFEIFFERVS l. c.
 statuit radicem esse Arabicam, *عَسَّ* perscrutatus est, quod re-
 rum divinarum & naturalium scrutinio vacarent: cujus senten-
 tia subscripsit CL. VOGTIVS, Prof. Lg. OO. Gryphiswald., in
 Miscellan. Biblicis p. 162. Ast in Quinquagenis locorum N. T. ad
 Matth. II. v. 1. ipse D. PFEIFFER. sententiam illam deseruit, monens,

quod 1) vocis Arab. *مَجُوس* radix *مَجُوسِي*, scrutatus est, potius sit statuenda, 2) ab hac voce potius Graece dicerentur *μαγισσοι* vel *μαγιστῶν*, 3) quod *μάγος* procul dubio sit vox origine Persica. Nihil jam dicit VIR SVMMVS, quod non creta notemus. Non apud Ebraeos, Chaldaeos, Graecos, Arabes, sed Persas venisse Magorum nomine sapientiae literarumque cultores, Historia Philosophica docet. Ipse Persicae Philosophiae auctor, Zoroaster quidam, Mog cognominatus est; sine dubio ut discriminari potuerit a Zoroastre Chaldaeorum: coniecitque jam Celeberr. SALMASIVS, Magus, Magia a cognomine illo fuisse orta. Est autem apud Persas *مَجُوس*, qui ignem adorat, et resurrectionem non credit; Pl. *مَجُوس* Presbyteri, pec. Magi, cultores ignis, Castellus in Lex. Pers.

Magia quid
et quotu-
plex?

De Magia
naturali.

§. II. Antequam Disputationis nostrae thema probamus ac explicamus, porro, quid hodiernum, etiam post certamen Seculi labentis initio exortum, Philosophia veritati litans de Magia doceat, breviter velutque in transcurso commemorabimus: quippe sine quo Judaeorum impietates magicae rite repraesentari nequeunt. I. praetexunt isti subinde Magiam naturalem. Quid ergo (1) est Magia? quid (2) Magia naturalis? Magia in genere est cognitio rerum abditarum, ut illius ope omnis generis operationes insolitae producantur, quae vires naturales videntur superare. Est vel naturalis vel diabolica. Illam sic definiunt, esse habitum, naturalium quidem, sed occultarum virium ac caussarum beneficio raras stupendasque edendi operationes. Deinde dividunt in simpliciter naturalem, si scil. operationes illae tantum per vires naturales et in natura absconditas fiant, ac artificiose talem, si viribus naturae humana dexteritas et ars jungatur. Priorem porro in divinantem atque operantem dividi posse, ajunt. Illam niti hac quaestione: an anima humana gaudeat facultate naturali res futuras reconditasque praenoscendi? quam tamen D. BVDDEVS cap. III. §. 4. in Thesib. de Atheismo et Superstitione p. 284. his verbis negat: *nec Stoicorum, aliorumque, qui naturalem homini-*
bus

bus inesse vaticinandi facultatem, contendebant, (sententia) ullo modo admitrenda. Conf. cap. VII. § 4. p. 600. Inprimis vid. Eiusdem Dissert., An naturali homines polleant facultate vaticinandi? Magiam simpliciter naturalem operantem esse, quae per virium naturae arcanarum et occultarum operam rari realesque effectus, incidentes in sensus, producantur; sique finem spectes, esse eam vel licitam vel prohibitam, licitam vel curiosam vel necessariam. Illam eo quidem tendere, ut mentes humanae delectentur, posse tamen eandem praebere occasionem rerum naturalium vires tam singulares animadvertentibus, Opificem ac Aedificatorem Mundi, DEVM, admirandi. E. g. e melle cum pane farraceo commixto gigni lumbricos insectaque alia, CHRISTIAN. LANGIVS, Prof. Physiol. &c. Lipsiensis, in Miscell. medic. tit. 23. §. 58. refert. Item anatem duabus patinis inclusam fimoque conditam die tertio (mira metamorphosis!) mutatam fuisse in bufonem, Schottus phys. curios. l. 12. c. 2. memorat. Magiam necessariam proxime constitutum finem habere utilitatem hominum: referuntque ad eam omnes curationes magicas, phyltra benigna, verae bonumque ad finem tendentis & sympatheticae virgulae divinae praeparationem, ut eo vergat, ubi metallum lateat. Curationes magicas fieri per remedia varia, ut, verba, characteres, transplantationem morborum, nudam applicationem. Verba vel scribi vel demurmurari vel clara voce pronunciarum; esseque vel *σημαντικά* s. significativa, profana juxta ac sacra, ut, Jehova, Jesus, initium Evangelii Iohannis, *Ἰησοῦς*, vel *ἀσημαντικά* s. non significantia, ut, Abrac, Chunrat, Khiriori, Dardaries, Daries. Adducunt ex Petri Borelli, Regis Galliae Archiatri, observationum Physico-Medic. centur. 3. obs. 67. unius amicorum Borelli filium tabe laborantem ac decumbentem, omnibus aliis remediis frustra adhibitis, tandem per uerba sanitati fuisse restitutum; id quod, se ipso praesente, factum refert vir perspicax: nec non ex Cent. 1. obs. 94., Chiliarcham, fere insanabili sanguinis excreatione conflictatum, statim ac carmen et ignota verba, ab amico quodam uvae passae indita & porrecta, deglutiverit, sanitatem recuperasse. De characterum in sanandis morbis vi & effica-

cia conscripti sunt libri integri; docuitque methodum hanc curandi quondam prae aliis Theophrastus Paracelsus. Attamen ipsis verbis ac characteribus vim illam inesse nemo credet, qui sanae rationis compos est. Verum si unquam aliquid effecisse visa sunt; aut imaginationi, cujus, extra orbitam deflectentis, vis magna est, imprimis in sexu sequiori, aut daemone id tribuendum esse, Philosophi saniores judicant. Morborum transplantationem ajunt esse illum medendi modum, quum per peculiarem vim magneticam vel magicam, morbus ex aliquo corpore humano in corpus aliud derivetur, ac velut transponatur. Quinque ejus species statuunt, implantationem, impositionem, inescationem, inseminationem, irrorationem; quas describit Autor Lexici univers. art. & scient. p. 791. ex ETTMULLERO quondam Celeberrimo: addunt alii appropinquationem. Nudae applicationis duas esse species, impositionem ac applicationem proprie sic dictam. Impositionem esse, quum 1) medicamentum, quantitate vel signatura sua cum intentione congruens, cum magnete misceatur aut intra illum ponatur, uti videre sit, quando pulverem Sympatheticum usurpent & adhibeant: 2) excrementa magnetica pharmaco intermiscantur. Applicationem proprie sic dictam esse, quum parti corporis dolorosae remedia, quae singularis sint operationis, & quae ex singulis tribus regnis sumi possint, appendantur imponanturve. Sequitur magia simpliciter naturalis operans prohibita; videlicet quae in perniciem aliorum vergit, ut, necare alterius omnes pullos gallinaceos in ovis etiamnum conclusos, equis claudicantem afferre, homines variis morbis casibusque periculosis implicare, &c. Ex quibus principiis vel causis operationes recensitae omnes procedant, ac quomodo naturaliter fiant, relinquitur inquirendum iis, qui Magiam naturalem destinate exponunt; quales fuere Jo. Bapt. PORTA, Casp. SCHOTTUS, KIRCHERUS, Wekerus, Martius, Autor Anonymus Colloquii secreti de magia naturali. Magiam artificiose naturalem vocant, si quis, secundum principia Mathematica, res naturales ita dirigere possit, ut itidem inde operationes mirae procedant: posseque

exem-

exempli loco esse Archimedis & Laurentii Florentini globos caelestes, qui se ipsi civerint, item Drebelii globum vitreum, in quo totum Creationis opus se exeruerit, Architae Tarentini columbam ligneam volantem, Alberti M. caput ligneum loquens.

§. III. II. Judaeos hic reos magiae nigrae s. diabolicae peragimus. Itaque & hujus indolem naturamque summatim exponere convenit. Philosophi docent eam sumi vel late vel stricte.

Vocem late sumtam denotare habitum vel operationem, qua homines ope diaboli, cum quo sibi amicitiam pepererint, talia efficere videantur, quae alias vires humanas supergrediantur: stricte acceptam significare hujuscemodi operationem, quatenus foedere cum daemone inito sit fundata. Sumimus hic magiam nigram late; nam datur magia talis, licet factum non sit cum Satana pactum expressum. V. g. quod & Judaei Judaeaeque in Processibus contra strigones strigelque delati fuerint, aut foedus cum caco-daemone icerint, non facile invenire est in Torreblancae, Del-ri-onis aliorumque, qui de magis & sagis scripserunt, monumentis. Nihilominus eosdem utriusque sexus crimine illo detestabili liberos non esse, exemplis oppido multis & veteris & recentioris aevi edocebimus.

§. IV. Latiori sensu acceptam magiam diabolicam dividunt, haud secus ac magia naturalis dividebatur, in divinantem & operantem. Illam esse, quum futuri casus, Satanae ope, praedicantur: posseque itidem duplicem statui, religiosam & artificialem. Priorem oraculis ethnicis una adfuisse, originemque his & illis dedisse, quicquid ANTONIVS VAN DALE reclamitet: quanquam multa quoque illorum a solis sacerdotum fallaciis ortum traxerint. Posteriolem, non sine superstitione magna, per artes varias & ritus singulares, Beelzebubi auxilio, res futuras praecognitum ire: species ejus esse Aeromantiam, Aegomantiam, Alectryomantiam, Anthropomantiam, Belomantiam, Dactylo-mantiam, Necromantiam, Pyromantiam, &c. De priori vid. Moebius de oraculorum ethnicorum Origine cap. V. it. GRAPIVS in Theol. recens controvy, tom. 2. cap. 3. quaest. 10. de posteriori

Magiae nigrae acceptio duplex.

Ejusdem late acceptae divisio, it. de Magia nigra divinante.

Casp.

Casp. PEVCERVS, coll. FABRICII, Bibliograph. antiquar. cap. 12. §. 2.

De Magia
nigra operante.

§. V. Magiam nigram operantem versari ajunt in operibus, quae, mediante Satana, edantur, hominumque vires ordinarie transcendant. Posse Satanam insolita, nostrasque vires superantia, multa, DEO permittente, operari, negari nequire, nisi quis fidem historicam totam abolendam existimet; licet modus, quo ea fiant, maneat ignotus. Hujus spiritus amicitiam homines impios sibi conciliare vel solum per superstitiosa, ut ceremonias, verba, characteres, in talibus fiduciam collocantes, & sic DEO, justo iudice, permittente, abominoso Cacodaemonis opitulatu optata efficientes; vel per expressum foedus cum eo, quod pactum explicitum nonnulli appellent, prius pacti impliciti nomine insignientes. Dari utriusque modi magiam diabolicam probare testimonia partim divina partim humana. Divina inveniri Lev. 20, 2. Exod. 7, 11, 12, 22. c. 8, 7. I. Sam. 28, a v. 7. Humana valorem consequi triplici modo: primum si cogitemus, eorum non exiguum esse multitudinem, dein autores & temporibus & locis diversissimis vixisse, tum non apparere, cur diabolus, quum sit substantia spiritualis, praedita intellectu ac voluntate facultateque, quantumvis suo modo limitata, corpora movendi operationesque varias perficiendi, interdum hominibus non appareat, cum illis colloquatur, foedus pangat, promissa faciat, inque eorum gratiam efficiendum suscipiat, quod humanas vires ordinarias superet. Harum operationum alias a diabolo produci perhibent per causas naturales, ut, praestigias, it. quando tempestates cieat, &c., alias, naturae viribus nequaquam cooperantibus, fieri, ut, devehere sagas in montem, excutere oculos. Vti vero hic spiritum malignum hac astutia; magis sagisque persuadere, non tam sibi, quam a se traditae arti, operationes tales esse adscribendas. Jam cavendum esse iis, qui hujusce modi opera inquirant, ne cum diabolicis operationibus operationes magiae naturalis commisceant. Nam qui de magia naturali scripserint, testari, sine diaboli ope ulla, meris naturae viribus pediculos, mures, similiaque animalcula produ-

produci, mares gravidandi virtute privari, philtrea praeparari posse.

§. VI. III. Quia procul dubio Judaeorum Literatos non praeteriit, circa vulgaris de Magia sententiae partem fere praecipuam certamen acre inter Philosophos Christianos obortum esse, graviaque haecenus de diabolo ac magis sagisque credita, ceu fabulas aniles, explosa esse a VIRIS magni nominis: Magi Judaici in rem suam id convertere posse videntur, elevatumque iri ab iis, qui causam quidem cognoverunt, sed non integram, nec non a Partis adversae asseclis nostram de Magia commentationem, nulli dubitamus. Itaque juvabit hic denarrare, (N) Partem adversam ipsam credere ac fateri, esse diabolum, eundem esse causam omnis mali, indeque etiam lapsus Protoplastorum, porro dari veneficos ac veneficas, qui homini & pecori occulte damnum inferant, esse specularios (Crystallos Seher) adjuratores, talesque, qui per superstitiosa ac incantationes mira varia efficiant, ab hominibus his quaedam fieri, quae neque pro meris praestigiis offucis que sint habenda, neque naturalium corporum atque elementorum operationibus abditis convenienter attribuantur, sed quae autorem habere diabolum videantur, subinde talia accidere, quae a potentia auctiori ampliorique, quam humana est, originem trahant, neque tamen aut DEO aut Angelis bonis tribuenda sint, laude dignos esse magistratus, qui *κρυφαλλοσκοπες*, exorcistas, incantatores & similes in Repl. non tolerant, sed ejciant, imo pro re nata gravius puniant; non minus laudandos esse, si veneficos illos & sagas, qui homini, modo quantumvis occulto, noceant, morte multent, etiamsi noxa per incognitas arcanasque naturae vias adlata fuerit, itemque re ipsa nihil detrimenti datum sit, verum duntaxat annisi sint ad malum dandum adjurationibus & praestigiis suis venefici atque veneficae. (2) e contrario negasse eosdem quidem sequentia: Diabolum habere cornua, ungues, falculas, Pharisei, monachi, monstri aut effigierum reliquarum, quibus pictores eum sistunt, speciem induere, assumere corpus ac sub peculiari forma homini apparere posse,

In quibus vulgaris de veneficis ac de diaboli operationibus sententia nostra aetate impugnata sit, ac in quibus approbata.

B

se,

se, cum hominibus pacisci, ab iis syngraphas accipere, cum iisdem concumbere, in montem infamem, quem *Blocks-Berg* nominant, scopis aut capro deducere, & similia. Existimatum enim haec omnia vel ficta esse fingique ab hominibus otiosis, vel esse fallaces relationes eorum, qui aliis imponant, ut auctoritatem sibi comparent aut pecuniam reportent, vel imaginationes melancholicas, vel effata a tortoribus extorta. Ast 1) cum his si jam contuleris, quas hic collegimus, Judaeorum operationes, intelliges etiam secundum sola illa ab Adversa Parte concessa dogmata inter Judaeos magos sagasque dari abominabiles. 2) Omnia ea neganda esse rationes adjectae non persvaserunt.

De ratio-
num impu-
gnantium
imbecillita-
te.

§. VII. Primum argumentum hoc fuit: Diabolus neque corpus unquam assumpsit, neque assumere potest; ergo nec pactum unquam fecit, nec facere potest. Verum enim responsum est: 1) an diabolus nunquam corpus assumerit, de hoc ipso quaeri; itaque principii loco esse nequire. 2) quando dicitur, diabolum non posse corpus induere, ergo quoque foedus facere non posse; primo negarunt consequentiam, posse enim conditiones contractus absque Satanae praesentia corporali invicem detegi. Deinde quum diabolus non solum intellectu et voluntate, sed et facultate agendi in corpora polleat, quod posterius probant ex Matth. VIII. 28, 32. Marc. IX. 17, 18, 20, 22, 26. it. cap. VI 49, 50. Luc. XXIV 37 etc., qualibus Scripturae S. locis addenda esse censent aliorum hominum, in S. Literis non memoratorum, exempla ex Historia antiqua, medii aevi, & nova collecta, nisi quis fidem historicam omnem neget: cur, quaeso, inquirunt, idem aut corpus jam existens animare & per illud operari, aut, si tale corpus ad operationes conceptas fortasse non satis aptum sit, aliud ex aëre & elementis reliquis formare, ac per illud opera sua perficere nequiret? Addunt, quoniam exempla non pauca assumpti a diabolo corporis, inquisita prius, memoriae mandata sint, prudentem Philosophum, quem sui de spiritu creato conceptus suaque principia ab assensu cohibeant, rem, antequam conceptuum ac principiorum

piorum

piorum suorum mendositas aut falsitas aliqua detegatur, in suspenso relicturum esse; quod si vero neget, desinere hic prudenter agere, propterea quod Philosophorum nemo gloriari possit, naturam s. essentiam Satanae sibi ita cognitam esse, ut quid secundum eam spiritus ille efficere, quid non efficere valeat, determinare queat. Secundum argumentum sequitur: Luc. 24, 36. Christus negat se a discipulis pro spiritu haberi posse, quia habeat carnem & ossa; ergo spiritus corpus assumere non potest. Ast hic quoque ἀνακόλαστον deprehendi asserunt. Nam opponi sibi invicem ideam de spectro, & ideam de vero corpore JESV resuscitati. Quinimo ipsum locum illum Diaboli facultatem assumendi corpus probare, tantum abesse, ut refellat; quoniam idea discipulorum de spectro involverit corpus aliquod assumptum, oculis percipiendum, coll. textu Graeco Marc. 6, 49, 50, neutro autem loco, non dari ejusmodi terriculamenta, indicaverit Salvator, quod tamen absque omni dubio fecisset, si ea false fuissent credita. Argumentum tertium: Deum uti creaturae omni, ita & diabolo certam essentiam, certas essentiae illi destinatas vires certumque ordinem appropriasse. Voluisse, ut diabolus sit ens naturae invisibilis ac incorporeae. Hunc ordinem mutari a diabolo non posse: ergo nec in potestate ejus situm esse, corpus assumere. Responderunt, ordines naturae invisibilis ac visibilis non turbari aut tolli, si spiritus ad tempus corpus aliquod assumant, inde patere, quia ipsi angeli boni hoc fecisse legantur. Neque diaboli essentiam per corporis assumptionem mutari: sicut vestis induta corpus humanum non mutet. Argumentum quartum: Quae secus sentientes modo de diaboli magna potentia, modo de ejusdem impotentia tanta, ut solo ventris crepitu fugari, ac ne minimum quidem apiculum punctulumve e Bibliis tollere possit, dicant, neutiquam conciliari posse. Reposuerunt, illud haud serio dici videri, siquidem Adversarii, pro ingenii sui acumine, procul dubio ipsi cognoverint, haec esse vulgi anuumque praejudicia, quorum hic ratio nulla sit habenda. Argumentum quintum; pacto

inter diabolum & hominem constituto, neque hominis neque Satanae ex parte, inesse utilitatem effectumque ullum. Cui opposuerunt, ideo talia pacta non existere, non sequi. Existere enim inutilia multa. Negandam etiam esse Propositionem minorem. Diabolum sui venerationem hominumque exitium intendere, ac proh! dolor utrumque ut plurimum obtinere. Hominum respectu a fine executionis distingvendum esse finem intentionis. Multis forte sufficit, inimicorum injurias occultius ac gravius sic prosequi posse. *At vindicta bonum*, inquit JUVENALIS Satyr. 13, v. 180, *vita jucundius ipsa*: ita ut quidam Genere nobilis dixisse feratur, *dummodo injuriam ex voto ulcisci posset, facinoris infernalem s. aeternam quoque poenam se non renuere.*

De Judaeorum studio magico Testimonia.

§. VIII. In haecenus dictis casuum quidem adhibuimus obliquationem: omnia tamen ea nostra facimus, illustraturi jam Judaeorum exemplis. Magiam impiam in gente hac emphaticis verbis notarunt Invictissimus Ecclesiae Militantis Heros, B. LUTHERUS, Orientalisque literaturae peritissimus Theologus Anglus, IO. LIGHTFOOTVS. ILLIVS verba haec sunt: *Ein Jude sticht so voll Abgötterey und Zauberey / als neun Rube Haar haben / d. i. unzehlig und unendlich*: Tom. VIII. Jen. f. 116. b. Hic in Hor. Ebr, Talm. in IV. Evang. ad Matth. XXIV. 24, καὶ δώσουσι σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα, sic loquitur: *In aequilibrio fere positum est, utrum prae superstitione in rebus religionis magis insaniverit gens Judaica, an prae superstitione in artibus curiosis.* Per quas artes quid intelligendum sit, ipse paulo post explicat; nempe insomniorum studium, amuleta, carmina, insuffrationes, exorcismos, omnimodas incantationes, praestigias, fascinationes, veneficia. Hinc legitur in Historia Angl. Matthaei PARIS ad an. 1188, Judaeis an. 1189. severe interdictum esse, spectatoribus Actuum Coronationis RICHARDI I, Regis Angliae, interesse, propter magicas artes, quae soleant in Regum coronationibus exerceri. Autor libri, *Juden = Spieß*, c. 17. p. 219. seq. narrat, Pientissimum Ducem Wirtembergicum, CHRISTOPHORVM, Confliariis svadentibus, ut utilitatis ergo, quae non exigua futura foret, Ju-

Ju-

Judaeos in suum reciperet Ducatum, respondisse: *non tolerarem maledictos istos, licet auri argentique vim maximam offerrent; quia contra fratrem ac Redemptorem meum, JESVM CHRISTVM, perfide egerunt, veneficosque eos esse minime latet.* Memorat Historia quoque Gothana Judaeos multos an. 1349, non Gothae solum, sed et in tota Thuringia, occisos fuisse aut expulsos sedibus suis, eo quod nomine magiae nigrae fuerint suspecti. Contra aulae Turcicae percaros esse et Judaeos et Judaeas, ob artes superstitiosas ac magicas, quas Sultanorum uxores doceant, GERLACHVS in Diario Turcico fol. 58. a. it. f. 381. b. tradit. Quod stabilitur Joannis SAGREDO relatione de AMVRATHI III, Imperatoris Turcici, Sultana haecenus prae reliquis amata, lib. 8. Recens apertae Portae Ottomannicae f. 266. b. Nimirum quum illa animadvertet, Sultanum amore alius inflammatum esse, tentavit, mulierum quarundam Judaicarum, sibi familiarium, ope, ignem illum peregrinum per incantationes ac exorcismos extingvere. Testantur alii foeminas Judaeas in toto Oriente, ubicunque degant, hujusmodi artibus nefariis communiter operam dare. Chardinus Oriental. Itinerarii Tom. VI. p. 234. et 314. seqv. idem de Judaeae nationis foeminis in Persia memoriae prodidit; eas mercium venditionem praetendentes sexui Persarum sequiori philtia compositionesque mediorum talium adferre, & varias operationes magicas ostendere.

§. IX. Atqui, inquires, Juris Ebraeorum Lex CCIII, Legibus Ebraeis qui-
 עתה לא יאמרו, non esse augurandum, vel, לא יאמרו כחשית, braeis qui-
 non esse conjectationum ductum sequendum, & Lex CCIV, dem ac Tal-
 לא יאמרו כחשית, non esse utendum praestigiis, magiam impiam Ju- mudi studi-
 daeis semper interdixerunt atque hodiernum interdiciunt. Tal- um illud
 mudi quoque artes tales adversantur. Sic est: debebantque le- adversatur.
 ges illae eo majori cura, sollicitudine ac studio servari, quod e
 Scriptura S. sumtae sunt; utraque ex Lev. 19, 26. & Devt. 18,
 10. Refert ad Legem CCIII, f. ad כחשית R. LEVI BAR-
 SELLONIVS, in ספר החינוך l. Libro Catechisationis, 1)

ex Siphri & Siphra, dicentes, Excidit bolus meus ori meo, baculus manui meae, praetergressus est dextram meam serpens, & sinistram vulpes, proptereaque abstinentes ab omni operis executione: it. conjecturam facientes ex mustela, avibus, stellis, crocitate corvo caput suum transvolante, caprea in fine viae, qua profecti sunt, occurrente, aut quum a via illa revertantur, &c: ubi suis in memoriam revocat, **לֹא נָחַשׁ בִּיעֶקֶב וְלֹא קָסָם בְּיִשְׂרָאֵל**, Num. 23, 23, addens, transgressores tales legis olim vapulasse.

2) Vulneribus incantantes, e Lege versum legendo, aut super puero legentes, ne conturbetur, aut librum Legis vel Phylacteria puerulo imponentes, ut somnum capiat; quos recte eo reprehendit, quod verba Legis in sanando corpore adhibeant, cum solum animabus medeantur. Ad Legem CCIV, (quam alii Judaeorum menti congruentius vertunt, certa tempora non esse observanda) pertinere ait *α*) certa figentes tempora, dicendo, haec hora apta est huic operi, qui hac illud fecerit, prosperum habebit successum, qui fecerit hora illa, non prosperabitur. *ἰσοστροφία* vocant. Addit Rabbi, fustigationis reum esse, & qui horas tales indicaverit, & qui, iis observatis, sua perfecerit. *β*) ex Rabinorum aliorum consensu, **עֵינַי אֲרוֹזִי** s. retinentes magice oculos, v. g. quidvis acceptum fimbriae vestis, inspectantibus hominibus, inferentes, & postquam illud extraxerint inde, serpentem ostentantes; nec non anulum in aërem projicientes, posteaque ex ore cujusdam adstantis, in praesentia spectatorum, producentes. Probe Recutiti expendere quoque ex Devt. 18, 10 debebant, aequè abominationi DEO esse **קָסָם קְסָמִים חֹבֵר** **חֹבֵר שֵׁאֵל אֹהֵב יָרְעוּנִי דֹרֵשׁ אֵל - הַמָּתוֹם**, addique, ob abominationes istas Jehovam incolas Cananaeae veteres e terra illa ejecisse. Sed quum magis ad verba Scribarum, quam ad verba Legis attendere teneantur, Buxt. in operis Talm. recens. p. 242; poterat ac debebat Talmud insaniam magicam inhibere. *הַמָּתוֹם הַזֶּה הוּא הַמָּתוֹם הַקָּדוֹם הַשָּׁמַיְמִי לְמַעַל מִמֶּנּוּ* i. e. *sanctissimo Talmude nihil est superius (apud Judaeos); ex communi doctorum Judaico-*

Judaicorum sententia. Atqui in Tract. de Synedriis Cap. VII. Aph. XI legitur, *המכסה זה העושה מעשה ולא האוחז את העינים רע"א מסום ל' יבוטע סנים לוקטין קיסואין אחר לוקט פטור ואחר לוקט חייב העושה מעשה חייב אחר לוקט חייב האוחז את העינים פטור: i. e. Magus is est, qui rem parat, non qui imponit oculis. R. Akiba ait nomine R. Josuae: duo carpebant (per magiam in praesentia nostra factam) cucumeres, unus dimittendus, alter reus erat; qui rem perpetrabat (proprie carpens per magiam) tenebatur, qui oculos ludebat (nobis demonstrans, quasi omnes ad unum locum colligerentur, cum cucumeres se revera non commoverent e loco suo) liber erat (a morte quidem, non tamen ab omni poena alia, quippe et officinae prohibita sunt, sec. Maimonidem in h. l.: contra perpetrans lapidationis poena tenetur, sec. R. Bartenoram in h. l.) Quin etiam mortis reum esse, qui verbum unum a Mago discat, ex Tr. Schabbat fol. 75. i. adducit CL. OTHO in Lex. Rabb. Philol. p. 356.*

§. X. Verum enim vero primum, quemadmodum omnes *Sed palliant* sibi relictis necesse habent cum Medea uno ore fateri, *Nitimid* *in vetitum semper*: ita Judaei, gens utique et DEI gratiae expers, a pravitare illa immunes esse non possunt. Deinde actiones suas *α) Cabbala* magicas palliant Cabbala, quae dividitur in theoreticam et practicum. Haec est, qua certae voces dictave, e V. T. sumta, ordine certo pronunciantur, aut scribuntur, appenduntur. Hisce spiritus adjurantur, morbi sanantur, ignis extinguitur, diaboli ejiciuntur, aliaeque res extra ordinem magnae peraguntur. Haec mihi Judaei maximi aestimant. *Temporalium igitur curarum gravamine semoto*, inquit R. Simon lib. I. Reuchlini de Arte Cabalistic. p. m. 763, 764., *et anilium disputationum sopbismatibus contemptis, felix Cabalista per Cabalam - - - - tenebras erumpit et profilit in splendorem, quo attingit lumen, et sic a lumine migrat in lucem, et per lucem, quantum humana potest capere natura, illud verum luminare comprehendit sub modo entis - - - - Cumque*
fre-

frequenter hac via, per ineffabile gaudium et alacritatem spiritus, ipsa mens Cabalistsae intra profundae taciturnitatis secretum humilia deserens atque terrena, ad supercaelestia et invisibilia transfertur, omnem transcendentia humanum sensum: tunc, etsi adhuc mortali in cute hospitatur, tamen socius fit angelorum, perinde atque domicilii supercaelestis quidam inquilinus, - - - et tum quandoque cum illis, tanquam viarum suarum comitibus, ad altiora spatia-
tur, animamque Messtae visitat, quandoque autem ad inferiores, tam caelestes quam caeteras naturae virtutes angelicoductu, nec tamen sine propria quoque ratione, descendit, et earum dignitates operationesque intelligere ac singulari honore venerari studet. Unde oritur intima Cabalistsae cum angelis amicitia, per quam aliquando nomina divina rite cognoscens, res admirandas conficit, quae vulgus miracula nominat. Ut R. Meir per nomen diuinum vel ab ethnico prolatum ipsam uxoris suae sororem a corruptione diversorii lupanaris praeservavit, quam vi prostitutam nullus ganeonum, verbo dicto, etiam quantumvis robustus violare ac stuprare valuerat. Haec in Portae lucis exordio, & talia id genus plurima cum suis autoribus recitantur. Tamque facilis ejuscemodi erat patrum memoria Cabalistsis miraculorum operatio, ut ii ab invidis & profanis saepius ignominiose versuti magici cognominarentur, quasi non illa opera perfecisset Michael, sed multo maxime Samael, videlicet per incantationes Aegyptiacas & arcana quaedam - - - Rabbi recentior, Salman Zebi, in Theriaca Judaica, Rabbinorum veterum facta prodigiosa omnia eodem modo excusat, non fuisse מעשה כישוף, effectus magiae diabolicae, sed Cabbalae Nominumque DEI BENEDICTI ac Angelorum: dictitans tamen, nostris in terris, qui hujus artis periti sint, non inventri, Israelitica in terra esse, qui calleant. Verum enim Cabbalam istam esse meram Magiam nigram, quod aliquando et KNORRIVS, Cabbalistarum inter Christianos facile princeps, CL. WAGENSEILIO affirmavit *, live magiae maledictae essentiam **, demonstrabimus in Dissert II.

* Wagenseil. in Tract. daß die Juden kein Christen-Blut brauchen.

** Kirsten. in Grammat. Arab. p. 76.

Coll. diss. A. 88, unsc. 15